



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. I. De Obligationibus Clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032



TRACTATUS
DE
OBLIGATIONIBUS
SPECIALIBUS,
CERTORUM STATUUM,
ET OFFICIORUM.

CAPUT PRIMUM.

De Obligationibus Clericorum.

NOTA. Clerici sunt ii, qui aliquo Ordine, vel saltem Tonsurâ sunt insigniti. Præter mandata omnibus Christianis communia, sunt quædam ipsis specialiter prohibita, & quædam præcepta.

Q. I. *Quenam sunt specialiter prohibita Clericis præsertim Sacro Ordine initiatis, vel Beneficiatis?*

Resp. *Ex communi, Sequentia i. Armorum Tom. III. A 2 gesta.*

gestatio, nisi necessitas urgeat ad defensionem vitæ, cap. 2. de vita & honest. Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur.

2. Venatio, quæ fit clamore, & armis, præsertim cum cane, vel accipitre, vel falcone; ita ut mortaliter peccent, si frequenter sic venentur, cap. 1. de Clerico venat. Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, Canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quòd si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit: si Episcopus est, tribus mensibus à Communione: si Presbyter duobus: si Diaconus ab omni officio suspendatur. & cap. 2. Omnibus servis Dei, venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres, aut falcones interdiciamus. & ex Conc. Gener. Later. 4. cap. 15. Venationem, aut aucupationem universis Clericis interdiciamus: unde nec canes, nec aves habere præsumant. His adde plura Concilia Provincialia. Ratio est, quia venatio à gravioribus occupationibus, à studio, oratione, & spiritualibus exercitiis, vel charitatis operibus avocat, mentem à Deo plurimum distrahit, populo scandalum parit, nec decet statum Clericalem. Præterea variis periculis obnoxia est. Quare Religiosos adhuc magis venatio dedecet, eisque speciatim prohibetur. Clement. 1. de statu Monach. Item ne venaticos canes intra suas domos retineant. Tamen juxta S. Raymund. & alios licita est interdum Clericis venatio quieta, quæ fit la-
queo,

queo, vel retribus, causâ necessitatis, vel recreationis moderatæ.

3. Militia, cap. *Quicumque* 23. q. 8. & cap. 5. dist. 50. & ex Apóst. 2. ad Tim. 2. quia 1. ex S. Thom. 2. 2. q. 40. a. 2. *Bellica exercitia multum impediunt animum à contemplatione divinorum & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum.* 2. Propter specialem rationem: nam omnes Clericorum Ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub Sacramento representatur Passio Christi... Et ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem; sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere, quod gerunt ministerio.

4. Negotiatio, quæ est emptio rei cum intentione eam integram, & non mutatam vendendi, vel permutandi cum lucro. Quamvis sit per se licita, (nam per se licet lucrum viâ justâ intendere, & comparare ad finem honestum:) tamen Clericis ac Religiosis graviter prohibita est cap. 15. *de vita & honest.* ex Conc. Gener. Later. 4. Et Clement. 1. eod. tit. & cap. 6. *Ne Clerici, vel Monach.* ubi Alex. III. ait: *Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur.* Tum quia valde indecorum est Clericos & Religiosos lucris terrenis, quæ contemnere debent, incumbere. Tum quia negotiatio exponit periculo peccati, nempe injustitiæ, fraudis.

fraudum, &c. & nimis animum secularibus curis implicat, & à spiritualibus avertit. à Conc. Chalced. can. 3. eis prohibetur conductio prædiorum alienorum, ut ex eorum fructibus lucrentur. Possunt tamen proprios agros colere, ut fructus vendant, & greges in suis prædiis alere, ut ex foetu, lanâ, lacte pecuniam conficiant, aut ipsa animalia saginata vendant. Eis quoque licet res, quæ ad suos usus emerunt, non ut vendant, postea data occasione carius vendere; nam hoc non est negotiatio. At non videtur iis licere negotiari per alios, qui totam præstent industriam, pecuniam in societate mercatorum deponere, nisi id fiat ex necessitate, & ex consensu Papæ expresso, vel tacito. Tum quia hoc illorum statui indecorum est, & in illis avaritiam redolet: tum quia ita fert consuetudo vim legis habens, nam reprehenderentur, qui hoc facerent.

5. Cohabitatio cum fœmina, de qua suspicio esse potest, ex Conc. Nic. I. can. 3. & cap. 1. & 9. *de cohabit.* & ex Conc. Gener. Later. I. cap. 3. ob periculum proprium, & scandalum aliorum.

6. Ludus alearum, chartarum, taxillorum ex cap. 1. dist. 35. ex cap. 11. *de excessib. prælat.* ex variis Conciliis. Et præsertim ex Conc. Gener. 6. & Conc. Gener. Later. 4. c. *Clerici. de vita & honest. ibi. Clerici... ad aleas, & taxillos non ludant: nec hujusmodi ludis intersint. Quare de Lugo ait: propter hos Canones obligatio-*

gationem aliquam peculiarem in Clericis agnoscunt Doctores communiter. Ratio est, quia talis ludus eorum statui indecorus est, & multis malis, ac peccatis obnoxius. Unde mortaliter peccant, qui saepe tali ludo ludunt cum jactura notabili temporis, vel etiam semel cum scandalo, vel magna pecuniæ summa. Religiosis verò ludus alexæ, & chartarum adhuc strictius vetitus est, nam Religiosis, inquit Molina, longè magis indecens est, & scandalosius aliis, quam Clericis secularibus: eoque magis ipsis indecens, & scandalosius aliis, quò arctiorem vitam profitentur, & magis in ea Religione regularis disciplina viget. Quare Busenbaum docet, Religiosos, apud quos disciplina regularis viget, à gravi peccato vix posse excusari, si ludant chartis, vel aleis. Et De Lugo disp. 31. sect. 1. n. 12. hæc ait: *Perdoctus P. M. Bannes indubitanter aliquando asseruisse fertur, si hominem nostræ Societatis vidisset chartis semel ludentem, judicaturum eum peccati mortalis reum. Quod ego etiam de Patribus Cappuccinis, Carmelitis discalceatis, & similibus dico.*

7. Secularia negotia, ex 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Et ex multis Conciliis, & ex toto tit. ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.* Hinc non possunt exercere officium Advocati coram Judice sæculari, nisi in propria causa, aut Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, quæ suas causas admi-

nistrare nequeunt, cap. 1. *de postul.* item officium Procuratoris, Tabellionis, seu Notarii in placitis secularibus, & alia negotia, quæ multum distrahunt, & implicant: nam per illa à rebus spiritualibus, & propriis eorum officiis nimium abstrahuntur. In Gallia tamen ex consuetudine recepta, & ob bonum Ecclesiæ licitè funguntur officio Consilarii, & Judicis in causis civilibus.

8. Chirurgiæ exercitium, quo adustio, vel incisio infertur, prohibetur Clericis sacro ordine initiatis; item sententiam sanguinis dictare, aut proferre, sanguinis vindictam exercere, aut ubi exercetur interesse, & quidquam dictare, aut scribere ad hunc finem, cap. 9. *ne Clerici vel Monach.* ex Conc. Gener. Later. *ex communi*, tamen licet Clericis Medicinam secundum artis regulas exercere ex charitate sine ullo periculo, & scandalo, modò ipsi incisionem, vel ustionem non inferant.

9. Popinarum ingressus, nisi necessitatis causâ in itinere, ex multis Canonibus, dist. 44. & ex Conc. Gener. Later. 4. cap. 16. ibi: *Tabernas prorsus evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti.* & ex multis Conciliis Provincialibus.

10. Omnis luxus, cap. 7. & 8. dist. 41. sæculi voluptates, & spectacula, cap. 3. dist. 23. commestationes, & ebrietates, cap. 14. *de vita & bon.* Choresæ Trident. sess. 24. cap. 12.

Porro Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. Hæc omnia

omnia innovat, & confirmat, nam ibi: *Statuit, ut quæ aliàs à summis Pontificibus, & à factis Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinâque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, Choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. Lege tot.*

Not. Eadem omnia prohibita sunt Religiosis non solum Clericis, sed etiam Laicis: quia nomine Clericorum comprehenduntur Religiosi, quando prohibitio spectat decentiam statûs, ut notat Suarez.

Q. 2. Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?

Resp. Tenentur 1. Clerici præsertim sacro ordine initiati, vel Beneficiati *habere Coronam, & Tonsuram congruentem, cap. 15. de vita & honest. ex Conc. Gener. Later. 4. & c. 4. eod. tit. Siquis ex Clericis comam relaxaverit, Anathema sit.* Item gestare habitum Clericalem, & suo Ordini convenientem, can. 22, dist. 23. & Clement. 2. *de vita & hon. & ex Conc. Trident. sess. 14. c. 6. & ex Constit. 92. Sixti V. ubi sub gravi pœna præcipit, ut omnes illi Clerici jugiter deferant Tonsuram, & habitum Clericalem, vestes scilicet talares.* Et verò eos, qui à mundo separati, se divino ministerio dedicarunt, Laicalem vitam exteriore habitu profiteri, dedecet. Hinc peccat mortaliter,

11115V

A 5

qui

qui notabili tempore non gestat Tonsuram, vel habitum Clericalem, saltem quo discernatur à Laicis, cum id præcipiatur sub gravibus pœnis, & res sit gravis pertinens ad decentiam statûs, & bonum, ac decus Ecclesiæ. *Ita Navar. Sanchez, & alii.* nec excusat consuetudo, cum sit irrationabilis, & corruptela. Unde S. Carol. in Synod. 2. Eccles. Mediol. inter alios casus hunc sibi reservat: *Qui quævis Beneficia obtinentes habitum Clericalem non induunt.* Permittit tamen Clericis iter facientibus, ut vestitu contractiore utantur, *decentem tamen illum, inquit, atque hujusmodi esse oportet, ex quo eos esse Ecclesiastici Ordinis homines agnoscere facile possit. Cum vero eò venerint, quò pervenire contendunt, talarem togam induant.*

Porro Religiosis prohibetur sub excommunicatione ipso facto contracta, & Papæ reservata, ne habitum sui Ordinis temere, hoc est, sine justa causa, dimittant, cap. 2. *ne Clerici, vel Monach. in 6.*

2. Tenentur Clerici sacro Ordine insigniti servare castitatem perpetuam, ex voto solemnini, quod Ecclesia ob reverentiam sacri ministerii annexuit Ordini sacro, ita ut illi per voluntariam Ordinis susceptionem facto ipso, & tacitè profiteantur, ac voveant castitatem. Constat ex variis juribus, ex Conc. Gener. Later. 2. cap. 7. ex Trident. & sensu, ac praxi Ecclesiæ. Item tenentur quotidie recitare Breviarium ex variis juribus, & præsertim ex universali

versali

versali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente; ut constat ex consensu Doctorum, qui se habent in hac re ut multitudo testium omni exceptione majorum.

3. Clerici ratione sui statûs, & juramenti obedientiam specialiter debent Episcopo in iis, quæ spectant ad honestatem vitæ, & reformationem morum, ad correctionem & pœnas pro peccatis impositas, ad divinum cultum, Officium, & Sacramenta, ad jura Episcopalia, & ad jurisdictionem Ecclesiasticam, c. *quia frater*. 7. q. 1. & c. 16. *de Offic. judic. ordin.*

4. Tenentur servare honestatem & modestiam in omni compositione & gestu corporis, temperantiam & moderationem in cibo & potu, ex dist. 41. & dist. 44.

5. Ratione sui statûs debent morum sanctitate, & virtutibus omnibus Laicis prælucere, *quorum forma & exemplum esse debent*, ait Conc. Gener. Later. 2. c. 4.

Q. 3. *Quanam sunt obligationes speciales Beneficiatorum?*

Resp. Beneficiati, etsi carentes Ordine sacro, tenentur ex justitia Horas Canonicas recitare quotidie, ita ut si eas culpabiliter omiserint, peccent mortaliter, nec faciant fructus suos, & ad eorum restitutionem teneantur, saltem post sex menses pacificæ possessionis. *Ita omnes Prob. 1. Ex Conc. Later. 5. sess. 9. ibi: Statuimus & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium*

dium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab
 obtento Beneficio divinum Officium non dixerit,
 legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suo-
 rum fructus suos non faciat, pro rata omissionis
 recitationis Officii & temporis; sed eos tanquam
 injuste perceptos in fabricas hujusmodi Beneficio-
 rum, vel pauperum Eleemosynas erogare teneatur,
 Quod decretum confirmat & explicat Pius V.
 Constit. Ex proximo vigente etiam in Gallia.
 Statuimus, inquit, ut qui Horas omnes Canonicas
 uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes Be-
 neficii, seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi
 vel illis diebus responderent, si quotidie divide-
 rentur: qui verò Matutinum tantum dimidiam;
 qui ceteras omnes Horas, aliam dimidiam: qui
 harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem
 diei amittant. 2. Quia sub hoc onere ab Ec-
 clesia Beneficium eis collatum est, & ab eis
 acceptatum: nam Beneficia propter Officia
 conceduntur, ait Conc. Constantiense sess. 43.
 idem docet Trid. sess. 21. c. 3.

Observa 1. hæc restitutio fructuum debetur
 in conscientia ante omnem sententiam; nam
 omittens non habet jus ad illos fructus, defe-
 ctu conditionis, quam Ecclesia exigit ut illud
 acquirat. Et Conc. Later. cit. dicit, non facere
 fructus suos pro rata omissionis Officii, sed teneri
 restituere tanquam injuste perceptos. At ut
 quis teneatur restituere injustè acceptum, &
 quod suum non est, non requiritur sententia
 Judicis. Hinc Alex. VII. damnavit hanc pro-
 pos.

pos. *Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quòd sit pœna. Excusatur tamen à restitutione, qui sine sua culpa omisit, v. g. ob morbum, unde Conc. Later. addit, cessante legitimo impedimento.*

2. Qui eodem die in pluribus horis pauca omisit, quæ simul sumpta constituent quantitatem unius parvæ horæ, videtur peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem prorata officii omissi: quia verè notabilem partem officii die omisit, ad quam tenebatur ex justitia, nec habet jus ad partem fructuum parti officii omissi respondentem.

3. Non liberatur à restitutione, qui aliis diebus recitat, quod omisit: quia obligatio restituendi est imposita omissioni graviter culpabili Officii quotidiani, quod cum suo diei affixum sit, non potest impleri alio die.

4. Non sufficit adesse Horis, quando recitantur in Choro, quia recitari debent ab ipso Beneficiato, ex ead. Bulla.

5. Alexander VII. damnavit has propos. 21. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* 33. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque Elemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus suæ Beneficii fecerit.*

6. Commendatarii perpetui obligantur ad
Horas:

Horas: quia substituantur Beneficiatis titularibus cum tota obligatione: imò nunc habentur pro veris titularibus, & Commenda perpetua æquiparatur Beneficio, ex Trid. sess. 7. c. 2. & sess. 24. c. 17. nam habet vim, & effectum tituli, datque jus perpetuum percipiendi fructus. Coadjutor verò non obligatur præcisè ratione Coadjutoria, licet instituatur cum futura successione, quia nondum est Beneficiatus. Excipe nisi habeat jus plenum administrandi ob Beneficiati amentiam, aut similem infirmitatem, vel assumatur ad totum onus Beneficii in defectum Beneficiati; nam tenetur ad omne onus, ad quod assumitur.

7. Impuberes ratione studiorum non excusantur, nam comprehenduntur voce *cuilibet*, Conc. Later. & Beneficium non datur nisi propter officium. Item ad Horas obligantur præstimonia habentes, ex Bulla Pii V. cit.

8. *Ex communiore*, nulla est obligatio recitandi ante partam possessionem, quia ante illam non censetur provisos Beneficium perfectè consecutus, nec potest fructus percipere, nec Beneficii jura exercere. Excipe, nisi dilatio possessionis capiendæ proveniat ex culpa, vel negligentia Beneficiati, nam *mora sua cuilibet est nociva*, Reg. Jur. 25. in 6. & nemini sua fraus, vel negligentia prodesse debet. Tenetur autem statim sub mortali accepta possessione, ex Bulla cit. Qui autem sex primis mensibus omisit; juxta alios tenetur ad restitutionem

tutionem, quia ex natura rei tenetur non solum ex jure Ecclesiastico; nam datum ob causam obligantem retineri non potest causâ non secutâ: juxta alios non tenetur, quia Papa remittit obligationem restituendi ob omissum sex primis mensibus officium, licet talis graviter peccaverit, cum violaverit præceptum in re gravi.

9. Tenuitas Beneficii non excusat ab hac obligatione. Ita S. Antonin. Navar. Suarez, Tolet. Azor, Reginal. & alii communis. quia jura ad Officium obligant omnes Beneficiarios sine exceptione, ut patet ex his verbis, Conc. Latèr. *Quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura.* Et ex his Bullæ Pii V. *qualiacunque Beneficia obtinentes*, at ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et lex generalis est, dari Beneficium propter Officium. Imò cap. *Clericus* dist. 91. jubetur Clerico pauperi, ut agriculturâ, vel artificio sibi victum compareret sine Officii detrimento. Deinde Beneficium acceptans, sponte acceptat omne onus illi annexum, & in illud consentit. Nec extraneo onere patitur injuriam, cum hæc scienti, & sponte consentienti non fiat. Sic vir tenetur ad onera matrimonii, & alendam uxorem, quamvis ab ea non acceperit dotem sufficientem. Saltem in hoc consuli debet cujusque Ecclesiæ consuetudo, & in dubio Episcopus loci.

Sed

*Sed an Beneficiarius privatur omnibus Beneficij
fructibus respondentibus iis diebus, quibus non
recitavit, si obierit alia Ministeria Bene-
ficio annexa?*

Resp. Suarez, Reginal. Azor, Navar. & alii
docent, omnibus privari, quia Conc. Later.
dicit generaliter omittentem Horas non face-
re fructus suos; & Pius V. sine ulla exceptio-
ne, & distinctione statuit, ut omnes Benefi-
cii, seu Beneficiorum suorum fructus amittat:
ubi eodem modo de Beneficiis sive curatis,
sive simplicibus loquitur.

Non pauci tamen docent teneri tantum ad
partem fructuum respondentem Officio omif-
so, spectata quantitate reddituum, & onerum:
quia Beneficium, cui alia onera annexa sunt,
ut Prædicatio, Ministratio Sacramentorum,
celebratio Missæ, &c. non solum propter Ho-
ras, sed etiam propter illa alia onera, & mi-
nisteria institutum est, & datur. Ergo æqui-
tas postulat, ut qui alia munera ritè obit, non
privetur stipendio iis debito. Cum enim im-
ponatur obligatio restituendi, quia Benefici-
um datur propter Officium; quando aliquis
præstat plura Officia, & omittit unum illorum,
ut recitationem Horarum, satis est, si restituat
partem stipendii respondentem Officio omif-
so. Dicunt autem Conc. Later. & Pium V. lo-
qui de omnibus fructibus respondentibus Ho-
ris Canonicis, non verò de aliis datis ob alia
Ministeria, & intelligi debere pro materia sub-
jecta,

jecta, vel saltem ea decreta non fuisse recepta cum tanto rigore, sed cum hac moderatione, ut qui alia onera habent, quibus satisfecerint, possint fructus iis respondentes lucrari.

Respondet Suarez, licet Beneficium detur propter plura Officia, nihilominus legem potuisse punire omissionem unius Officii privatione omnium fructuum etiam respondentium aliis servitiis: privasse autem ex verbis citatis constare. Alii docent ad securitatem conscientiae petendam esse compositionem cum sacra Pœnitentiaria.

Quid si Beneficium possidens nullos ex eo fructus percipiat?

Resp. 1. Tenetur horas recitare in his casibus 1. Si omnes fructus loco pensionis impendat ei, qui sibi resignavit, vel Sacerdoti substituto ad peragenda Beneficii onera. Quia habet titulum, & possessionem beneficii, cui annexa est obligatio personalis recitandi horas: quod si non fruatur fructibus, hoc est peccat accidens, & quia sic ipse sponte consentit. 2. Si iis privetur justè, v. g. quia non residet, vel nondum Sacris initiatus est, vel ob aliquam culpam. Nam Ecclesia non debet privari suo debito servitio ob culpam, aut aliquem defectum Ministri, qui hanc fructuum privationem sibi imputare debet. 3. Si illi fructus aliquo casu perierint, v. g. incendio, sterilitate, hostium spoliatione, &c. vel si hominum in-

juria pro aliquo tempore auferantur sine spe recipiendi. Quia cum beneficia instituta sunt, simul imposita est perpetua obligatio officii, licet fieri nequeat, quin aliqui ejusmodi casus decursu temporis accidant; & qui beneficium semel acceptati, sicut omnia jura, & emolumenta percipit, ita suscipit in se pericula, & cum periculis se obligat ad ejus onera, idque ex pacto tacito inter ipsum, & Ecclesiam. Adde quod Superiorum, vel sequentium annorum proventus talem jacturam satis compensare possunt. 4. Quando redditus primi, vel secundi anni subtrahuntur Beneficiato, ut cedant fabricæ, vel antiquis Canonicis: tum quia talis consuetudo non fuit inducta, ut minueretur officium: tum quia cum his conditionibus sponte suscepit beneficium: tum quia per applicationem fructuum fabricæ, ipse liberatur in posterum onere solvendi pro fabrica: & si applicentur Canonicis, ipse tunc obtinet jus, & spem idem percipiendi ab aliis, & suo tempore eadem commoda percepturus est. Nec refert quod prius mori potest, aut cedere beneficio, quia hoc se habet per accidens.

Resp. II. Si absque sua culpa nullos fructus percipiat, nec sit spes, eos postea percipiendi, ut cum fundus beneficii ab hæreticis occupatur, juxta multos non obligatur ad horas ratione hujus beneficii. Quia non est mens Ecclesie, ut teneatur ad hoc onus, cum stipendium

dium non habeat, & censeatur amisisse facultatem unquam percipiendi. Quòd si partem fructuum, aut distributiones recipiat, ad officium totum tenetur non minus, quàm qui beneficium insufficientis ad integram sustentationem habet. At si sit spes percipiendi aliquando fructus, teneretur: tum quia hæc spes est pretio æstimabilis, & beneficium pacificè possessum cum tali spe est sufficiens ratio obligandi, & interim gaudet honore, & privilegiis: tum quia teneretur, si casu fortuito, ut propter sterilitatem, furtum, bellum, & similia aliquibus annis non reciperet fructus.

Q. 4. *Ad quid insuper tenentur Beneficiati Choro addicti?*

Resp. I. Tenentur Choro interesse tempore divini Officii, ita ut si sine legitima causa ab eo absint ultra tempus sibi à jure concessum, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem. Probat. 1. ex c. 3. dist. 91. Clericus, qui absque corpusculi sui in equalitate vigiliis deest, stipendio privatus excommunicetur. Et ex tit. de Cleric. non resid. Et ex Trid. sess. 24. c. 12. ibi: *Obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse. Salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt, &c.* Et ex multis Conciliis Provincialibus. 2. Quia

ex Officio tenentur in Choro horas omnes recitare, & propter hanc recitationem publicam in Choro, stipendium accipiunt; ad hoc enim instituta sunt illa beneficia. Tenentur autem omnibus, & singulis horis interesse, nam tenentur Officium integrum solemniter persolvere, & non tantum partem Officii. Unde Conc. gener. Later. 4. c. 17. præcipit Clericis, Choro præsertim adstrictis, & Canonicis *in virtute obedientia, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter, & devotè.*

Quanta autem ad mortale requiratur absentia à Choro, ultra duos, aut tres menses juxta cujusque Ecclesiæ consuetudinem, sive ex continuis, sive ex interruptis diebus componatur, controvertitur. Suarez excusat solum à mortali absentiam unius diei. Excusantur tamen à præsentia Chori, & residentia, absentèsque jure percipiunt fructus beneficiorum Canonici studentes Theologiæ per annos 5. vel docentes Theologiam toto tempore, quo docent *c. ult. de Magist.* Item duo Canonici, qui sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem, *c. 15. de Cleric. non resid.* & qui sunt in obsequio Papæ ad eundem finem *c. 14. eod. tit.*

Not. Qui etiam ex legitima causa à Choro absunt, non lucrantur Distributiones quotidianas, & receptas tenentur restituere, non obstante remissione, *ex c. 32. de Præbend. & ex Trid.*

Trid. sess. 24. c. 12. ibi: *Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusionis, aut remissione exclusâ, his careant, juxta Bonifac. VIII. Decretum, quod incipit, Consuetudinem, &c.* In quo excipiuntur solum ii, quos infirmitas, seu iusta, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesie utilitas excusaret. Hinc punctator, cui ex officio incumbit notare absentes à Choro, tenetur ad restitutionem, si eos non notet, quia causa est, quod solvantur distributiones iis, quibus non debentur cum damno eorum, quibus jure debentur; quibus proinde tenetur restituere de suo. Idem est de distributore, si distributiones solvat iis quibus non debentur, hoc est iis, qui absunt non ob infirmitatem, aut necessitatem corporalem, vel in evidentem utilitatem Ecclesie, sed ex alia causa, licet iusta; nam iis privat alios, quibus jure debentur. Ex Decreto Trident. sess. 22. c. 3. *Distributiones illæ saltem, quæ ab Episcopis post tale decretum institutæ sunt ex fructibus beneficii, applicari debent fabricæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii.*

Porro cæcus habens Præbendam tenetur choro interesse, & audire alios canentes, & recitare, quantum ipse potest, & recordatur, nam ad id tenetur ex vi beneficii cum Præbenda. Cur enim excusaretur? *Ita Suarez, Filiuc.*

Resp. II. Idem tenentur jure communi canere in choro, & alta voce recitare Officium

secundum Ecclesie sue usum, ex c. 9. dist. 92. Quilibet Clericus Ecclesie deputatus, si ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur à clero. Et ex Trid. c. 12. Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia... atque in choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare. Item ex variis Conciliis. Nam ad officium talium beneficiatorum publica canonicarum precum decantatio pertinet, cum ad eam instituta sint illa beneficia; & re ipsa redditus eis specialiter dantur, ut Choro inserviant. Nec distributiones constituta sunt ob nudam presentiam, sed ut cum aliis psallant, & officium decantent. Quare non satisfaciunt privatim in Choro Horas recitando, nec lucrantur distributiones, quæ debentur solis Choro inservientibus: nam quod datur ob causam obligantem, causam non secutam non debetur, sed restitui debet.

Porro pars Chori, quæ tacet, tenetur attendere ad ea, quæ canit altera; nam tenetur ad totum Officium moraliter concurrere, & totum facere suum. Aliàs non censeretur moraliter præsens toti Officio; nam is non dicitur præsens alicui rei, qui ad aliud attendit, ex l. coram. ff. de verbor. signif. Nec satisfacit, qui prævenit, & privatim recitat partem alterius Chori, & postea voluntariè distrahitur; nam non satisfacit toti Officio publico Chori, non enim

enim communicat in parte Officii, quam non recitat, nisi ad eam attendendo. Unde in solemni Missa omnes tenentur audire attentè Evangelium, Epistolam, & alia quæ ab uno decantantur.

Controvertitur, an legitima sit consuetudo, quâ in quibusdam locis Canonici totum onus psallendi seu canendi imponunt Vicariis, vel Cantoribus conductitiis, ipsi verò certis temporibus adsunt. Certum est tales saltem teneri privatim Horas recitare; nam generalis est lex recitandi Horas, cui non satisfacit, qui tantum alios recitantes audit; item teneri Choro interesse tempore Officii cum devotione, & attentione: quòd si domi Horas persolverint, attendere more orantium, alioqui vana, nec religiosa esset illorum præsentia.

Q. 5. An Beneficarii omnes tenentur partem fructuum Beneficii, honestæ sustentationi superfluum, impendere in pauperes, vel alios pios usus.

Resp. Juxta omnes ad id sub mortali tenentur. Et quidem paucis exceptis etiam jure naturali, ita ut consuetudo in contrarium excusare non possit. Sed omnes penes Canonicos, ut ostendit Navar. & plurimi ne dicam plerique Theologi veteres cum Richard. S. Bonav. S. Raymund. S. Antonin. multique recentiores Turrian. Comitol. Layman. Gormaz, &c. Docent ad id teneri non solum ex

charitate, & Religione, sed etiam ex iustitia, ita ut si superflua omnia non impenderint in usus pios, teneantur ad restituendum pauperibus, vel aliis piis causis; ideoque non habere dominium omnium fructuum Beneficii absolutum, & liberum, sed gravatum onere iustitiæ superflua impendendi in pios usus.

Prob. 1. ex Patribus & Conciliis. S. Ambros. ep. 31. ad Valent. *Nihil Ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos redditus præbet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum.* S. Hier. in c. *Quoniam.* 16. q. 1. *Quidquid habent Clerici, pauperum est.* S. August. in c. *si privatum.* 12. q. 1. *Non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* S. Gregor. l. 5. Epist. 55. ait Patrimonium Ecclesiæ Romanæ esse res pauperum. S. Bernard. Epist. 2. ad Falcon. *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Ita alii Patres. Adde can. *Res Ecclesiæ* 12. q. 1. Conc. Gener. Nic. 2. c. 12. *Omniū Ecclesiasticarum rerum Episcopus sollicitudinem habeat, & dispenset eas tanquam Deo contemplante. Non liceat autem ei fraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ Dei sunt. Quòd si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur.*

Conc. Gener. 8. cap. 15. decernit Ecclesiasticos redditus ad Ministrorum sustentationem, & ob escam pauperum, & peregrinorum sustentationem.

tatio-

tationem esse. Conc. Gener. Later. 3. cap. 19. dicit *Ecclesiarum bona, & Clericorum, & pauperum Christi usibus deputata esse.* Greg. IX. c. 16. de foro compet. ait: *Cum valde sit iniquum ea, quæ collata sunt pro remedio peccatorum Ecclesiis, vel relicta, aut eis iustis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari.* Conc. Turon. An. 813. c. 10. *Rebus Ecclesiæ ita utantur, ut non propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.* Ita loquuntur multa alia Concilia. Unde Conc. Paris. 829. adductis multis Canonibus, & textibus Patrum, ait c. 15. *Sicut igitur præmissa documenta declarant, non sunt res Ecclesiæ ut propriæ, sed ut Dominicæ, & à Domino commendatæ tractandæ.* adde S. Th. qui 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. ait: *Quamvis res Ecclesiæ sint Papæ ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut Domini, & possessoris.* & q. 119. a. 3. ad 1. *Clerici sunt dispensatores honorum Ecclesiæ, quæ sunt pauperum, quos defraudant prodigè expendendo.*

Nec dicas Patres, & Canones loqui de bonis immobilibus: nam apertè loquuntur de bonis, quæ ad sustentandos Ministros Ecclesiæ, & alendos pauperes impendi debent. Constat autem nunquam Ministris licuisse bona immobilia consumere in suos, vel pauperum usus.

Prob. 2. Quia bona Ecclesiæ sunt ei donata à fidelibus ea intentione, & cum onere, ac pacto saltem implicito, seu tacito, ut impenderentur in cultum divinum, & alios pios usus,

scilicet, in sustentationem Ministrorum Eccle-
 siæ, & pauperum, in fabricam, Ornamenta
 Templi, &c. Nam 1. A Patribus, & Conciliis
 bona Ecclesiæ dicuntur vota fidelium, pretia
 peccatorum, bona Dei, hoc est, bona Deo
 consecrata, quatenus donata sunt tantum in
 ejus cultum, & usus pios ipsi gratos. Item Eccle-
 siæ Prælati dicuntur œconomi, & dispensato-
 res; non absoluti Domini bonorum Ecclesiæ.
 2. Fideles bona sua donando Ecclesiæ vole-
 bant opus salutare, meritorium, & Deo gra-
 tum facere, & illa Deo consecrare: quod non
 fecissent quoad partem superfluum bonorum,
 si non dedissent cum onere, & pacto, saltem
 implicito seu tacito, ut in usus pios, & Deo
 gratos omnia impenderentur: nam non est
 opus pium dare Ministris Ecclesiæ bona illo-
 rum sustentationi superflua, ut de iis faciant,
 quod libuerit, & possint ea in usus profanos
 impendere. 3. Hæc intentio fidelium satis
 constat ex Patribus, & Conciliis. S. Ambros.
 l. 2. Offic. c. 22. dicit fideles Ecclesiæ Ministris
 probis sua obtulisse, ut per eos ad pauperes
 pervenirent. S. Thom. in Epist. 2. ad Corinth.
 c. 12. Lect. 5. ait. quod Principes & alii bona
 Ecclesiæ non dederunt Prælati propter se, sed
 propter pauperes: & ideo non dederunt eis, sed
 pauperibus. Prælati autem dantur tanquam
 pauperum dispensatoribus. Conc. Gener. La-
 ter. 2. c. 10. ait Decimas Ecclesiarum, quas in
 usus pietatis concessas esse Canonica demonstrat
 aucto-

auſtoritas, à Laicis poſſideri prohibemus. Conc. Aquisgran. an. 816. cap. 16. Res Eccleſiæ, ſicut à SS. Patribus traditur, & in ſuperioribus Capitulis continetur, vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: fideles namque Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, Cœleſtis Patriæ deſiderium, ſuis propriis facultatibus ſandam locupletem fecerunt Eccleſiam; ut his & milites Chriſti alerentur, & Eccleſiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi redimerentur. Quapropter vigilantia ac ſolerti curâ providendum eſt his, qui ejus facultates adminiſtrant, ne eas in ſuos ſolummodo uſus convertant, ſed magis juxta poſſibilitatem rerum, Chriſto Famulantium, imo eorum in quibus Chriſtus paſcitur, & veſtitur, curam gerere penitus non negligant, &c. Conc. Valent. an. 855. c. 21. Quia cum ipſæ res Eccleſiæ à pijs & fidelibus Deo oblatae, juxta antiquorum Patrum ſententiam, nihil ſint aliud, niſi vota fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum; ſi eas fideliter, & integre Eccleſiaſticis uſibus non defendimus, & in eos, qui obiulerunt, & in Deum, cui oblatae ſunt, graviffimo nos reatu implicamus: Conc. Tribur. cap. 13. Ideo danda (ſunt decimæ) ut Deus placeat, & Miniſtri Eccleſiæ liberiores fiant ad ſpiritualis ſervitiū expletionem, nec non ſecundum Statuta Canonum in ſuſtentionem pauperum, & reſtaurationem Eccleſiarum proficiant, &c. Omitto multa alia Concilia idem declarantia.

Neque

Neq; dicas ante erectionem Beneficiorum, quæ Octavo, vel Nono sæculo accidit, fuisse quidem obligationem Justitiæ impendendi superflua in usus pios; sed postea Ecclesiam instituendo Beneficia dominium eorum reddituum absolutum, ac liberum transtulisse in Beneficiarios, cum sola obligatione charitatis, vel religionis impendendi superflua in usus pios.

Nam contra est 1. Bona Ecclesiæ post erectionem Beneficiorum non amiserunt naturam, & conditionem boni merè Ecclesiastici, & Deo dicati, ideòque in usus pios impendendi. 2. Cum data sint à fidelibus solum in Dei cultum, & pios usus, imposita est obligatio perpetua justitiæ ea sic impendendi. 3. Posteriora Concilia de illis bonis loquuntur sicut priora, & dicunt ea esse bona Dei, impendenda in usus pios. Nam Leo X. constit. 7. approbante Conc. Later. 5. Statuit ut *Cardinales Ecclesiarum bona temerè non effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorum causâ magni & optimi redditus per Sanctos Patres statuti, & ordinari fuerunt.* Scilicet secundum naturam, & donationem illorum bonorum. Conc. Trid. sess. 25. c. 1. ait *omnino eis (Episcopis) interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant...* Quæ verò
de

de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque Beneficia Ecclesiastica tam secularia quam regularia obtinentibus observari, sed et ad S. Rom. Ecclesie Cardinales pertinere decernit. Conc. Mediol. I. sub S. Carolo. tit. 63. Et Sacrorum Canonum decretis statutum est, et SS. Patrum testimoniis celebratum, quae bona fidelium pietas Deo consecravit, ea vel illorum necessitatibus honeste sublevandis, qui Christi Ministri effecti essent, vel Ecclesiis reficiendis, earumque Ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse; siquidem ubi primum Ecclesiae bona esse ceperunt, eam naturam et conditionem consecuta sunt, ut in alium quam in sacrum, et pium usum eorum fructus converti nefas esset. Conc. Rothomag. an. 1581. de Monast. ait: Ne existiment Commendatarii sibi, Commendatum Monasteriorum regimen ad luxum, vel prodigalitatem, aut ad augendam rem suam, et consanguineorum familiam: sed ad piam, et justam alienarum rerum dispensationem, et quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem. Idem habet Conc. Aqueense an. 1585. & Conc. Burdigal. an. 1583. tit. 16. ait redditus Ecclesiae esse Dei proprios. & tit. 26. Peculium Christi sunt bona Ecclesiae Episcopis, Sacerdotibus, et Clericis, cum ad honestum vitam eorum subsidium, et spiritualis sumptum ministerii, tum ad pauperum alimentum, atque sustentationem tradita. Adde quod olim quarta pars reddituum Ecclesiae in illorum divisione

sione pauperibus assignata fuerit; nunc verò est permixta cum redditibus Beneficiorum; nam nullibi separata reperitur.

Dixi, cum onere & pacto saltem implicito, quatenus fideles sua bona Ecclesiæ donabant ad Dei cultum & animarum salutem; ideòque cum onere ut ea in usus pios ac Deo gratos impenderentur.

Obj. 1. Conc. Trid. sess. 22. c. 3. statuit, ut Beneficarii, qui servitium debitum in Ecclesia quolibet die statuto omiserint, non acquirant dominium Distributionum. Et Pius V. declarat non recitantes Officium non facere fructus suos. Ergo Beneficarii, qui rectè suo Officio funguntur, acquirunt dominium fructuum.

Resp. Acquirunt reddituum dominium, sed restrictum, & gravatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus, non autem absolutum, & liberum. Sic si darem alteri centum aureos ad peregrinationem cum onere erogandi id quod ultra necessariam sustentationem superfuerit; is acquirit dominium pecuniæ, sed gravatum; ideòque tenetur ex justitia superflua pauperibus erogare; & si non erogat tenebitur ad restitutionem. Similiter Beneficarii possunt dici habere dominium fructuum Beneficii, quia habent dominium partis necessariæ ad honestam sustentationem, & dispensationem superfluum in pios usus impendendorum; sed dominium illud est gravatum

vatum onere justitiæ impendendi superflua in pios usus: sicut hæres habet dominium hæreditatis cum onere justitiæ solvendi debita defuncti. Item qui bona fide pecuniam alienam suæ permiscet, fit Dominus totius cumuli, sed cum onere justitiæ solvendi alienam suæ permixtam.

Obj. 2. Ex communi Theologorum sententia, Clerici habent dominium absolutum, ac liberum partis bonorum, quæ necessaria est ad suam sustentationem: ergo & bonorum superfluorum.

Resp. Neg. C. Disparitas est quòd bona ad congruam Clerici sustentationem necessaria, ei data sint absolutè, cum solo onere rectè fungendi Officio spirituali. Quippe largitio bonorum necessariorum congruæ sustentationi Ministri Dei est pia impensa jam facta; pium est enim, & gratum Deo sustentare ejus Ministrum in ejus obsequium: sicut erogatio elemosynæ necessariæ sustentationi pauperis est pia impensa, & bonum opus, quamvis pauper ille postea malè uteretur hoc dono. At bona superflua Clerici sustentationi non sunt data absolutè, sed cum onere illa in pios usus impendendi: nam datio talium bonorum facta absolutè, & sine hoc onere non est pius usus, cum non sit opus pium & Deo gratum dare alicui bona superflua, de quibus possit pro libito disponere in quosvis usus, etiam vanos. Bona autem omnia Ecclesiæ sunt bona Deo consecrata,

grata,

crata, & data eâ solùm intentione, ut in pios usus impenderentur.

Obj. 3. Si ita est, Ecclesia non deberet tolerare consuetudinem in multis locis vigentem, qua Beneficarii de omnibus bonis suis testantur pro arbitrio, & qua consanguinei divites eorum bonis ab intestato succedunt.

Resp. Neg. Quia 1. Ecclesia ad vitandas perturbationes, & multas lites potest hujus obligationis observationem cujusque conscientiae relinquere; & sufficit ut c. 12. de testam. declaret, quod mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possunt; cum jam id de immobilibus declarasset. 2. Cum nullus praesumendus sit malus, nisi probetur; non est censendus Beneficarius donare consanguineis, vel impendere in usus profanos partem piis causis ex justitia debitam, sed tantum bona Patrimonialia, vel donatione, aut industriâ acquisita, vel suae sustentationi debita, quae parcius vivendo sibi reservavit. 3. Etsi constet partem aliquam bonorum piis causis esse debitam ex justitia, forum externum hoc tolerat ad impedienda multa mala, quae ex innumeris litibus oriuntur, ob difficultatem discernendi superflua illa ab aliis bonis: sicut non dat actionem circa venditionem injustam, dum laesio non excedit dimidiam partem justii pretii. Et verò, ex communi, mortaliter peccant Beneficarii, si testentur de superfluis ad usus non pios; cur hoc

hoc Ecclesia tolerat? Cur talem dispositionem non irritat?

Ex dictis sequitur Laicos, qui sive testamento, sive ab intestato succedunt bonis provenientes ex Beneficiis, vel qui aliàs dono acceperunt, nisi sint pauperes, teneri in conscientia ad illa restituenda pauperibus loci Beneficii, vel aliis piis causis: nam testator vel donator non potuit, jus in illa transferre ad usus profanos, cum ipse illud non habuerit; nam *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* Reg. Jur. 79. in 6. Nemo enim dat quod non habet. Item qui aleam lucrati sunt aliquid notabile ex bonis illis superfluis tenentur *rem pauperum male partam restituere*, ut statuit Concilium Rhemense, An. 1583.

Not. 1. Ex dictis saltem patet beneficiarios teneri non solum ex charitate, sed etiam ex religione impendere bona superflua in usus pios, idque jure divino naturali; cum constet bona illa esse bona Deo dicata & ad ejus cultum data: ideoque si aliter impendant reos esse culpæ mortalis & sacrilegii: ac proinde etiam si non constaret peccasse contra justitiam, meritò ipsis in satisfactionem imponitur obligatio tantumdem ex bonis patrimonialibus restituendi piis causis, quantum ex Ecclesiasticis in usus profanos impenderit.

Not. 2. Clerici, qui pensionem Clericalem accipiunt, tenentur quoque superflua in pia

opera impendere: quia accipiunt illa ut Ministri Ecclesiæ, & cum onere illis bonis affixo. Item Commendatarii, cum subeant locum beneficiarii titularis in munere, jure & commodis, subeunt quoque eadem onera. Deinde bona Monasterii sunt bona Deo dicata: unde omnia ex natura sua, & ex vi donationis illorum debent impendi in pios usus. Religiosus verò habens Beneficium extra Monasterium, non unitum Monasterio, tenetur bona superflua impendere non in usum Monasterii, sed in usus pios in loco sui Beneficii, ut in subsidium pauperum, in fabricam, & ornamenta templi Parochiæ: nam ex jure & ex institutione Beneficii habet facultatem ac obligationem superflua in pauperes beneficii, & alios pios usus ejus loci præ cæteris impendendi. Quare illud, *quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit*, non intelligitur de iis, quæ ex Beneficio acquirit, sed ex donatione vel propriâ industriâ.

Not. 3. Per congruam sustentationem intelligitur quidquid necessarium est ad victum, vestitum, & habitationem Beneficiarii ac personarum ei necessariorum, ad hospitalitatem exercendam, ad modicas aliquas donationes remuneratorias; uno verbo ad honestam ac convenientem cujusque vivendi rationem, ab omni luxu, & intemperantia alienam secundum cujusque Statum, Officium, Dignitatem, Ordinem, & qualitatem Beneficii. Quæ omnia

nia aestimari debent iudicio prudenti, & secundum consuetudinem piorum ac timoratorum ejusdem conditionis, & Sacros Canones de vita & honestate Clericorum, & regulam à Trid. sess. 25. c. 1. traditam, videlicet, *ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiae, continentiae, ac sanctae humilitatis exempla petere possint.* Quapropter non solum jubet, ut Episcopi modesta suppellectili & mensa ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliqua vita genere ac toto ejus domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praesferat.

Not. 4. Nomine piorum operum intelliguntur omnia opera misericordiae tum corporalia tum spiritualia. Item omnia quae ad Dei cultum & animarum salutem spectant; nam bona illa donata sunt non solum ad subveniendum necessitati corporali, sed etiam spirituali fidelium, & ad promovendum cultum divinum. Pauperes vero censentur ii, qui carent necessariis sive ad vitam, sive ad statum suum sustentandum secundum suam conditionem.

Porro locus Beneficii, caeteris paribus, anteponendus est caeteris: hinc si in illo sint necessitates extremae vel graves, illis statim subvenire debet Beneficiarius. Aliàs potest caeteris opitulari, modò communium necessitatum proprii loci non obliviscatur.

Sed an Clerici tenentur etiam sub mortali impendere in pios usus partem superfluum bonorum, quæ accipiunt ex Ministerio spirituali, ut administratione Sacramentorum, Concionibus, Sacrificiis, fungendo Vicaria temporalis, &c.

Resp. Non pauci asserunt cum Innoc. in cap. Quianos. De testam. & Panormit. Quia I. ex jure non possunt de illis restari sicut de patrimonialibus, cap. 9. de testam. ibi: de his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum. At talia sunt bona illa, quæ titulo Officii aut Ordinis percipiuntur. 2. Ex Conc. Namnetensi, c. 10. Presbyteri noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus, & his qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros. Et Conc. Rhedon. an. 1273. c. 2. Quidquid habent Clerici (scilicet ut Clerici) pauperum est. idem habet S. Aug. sup. cit. 3. Ex S. Hier. l. 14. in Ezech. ad cap. 46. Qui ditior est Sacerdos quam venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, debet dare pauperibus... Ut reddat ea quæ Domini sunt, Domino suo. & ex S. Bern. Epist. 2. ad Fulcon: ubi generaliter ait: quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. 4. Quia ejus-

ejusmodi bona sunt bona Deo consecrata, utpote intuitu religionis & cultûs divini, perinde ac bona Beneficiorum, data ad sustentationem Ministri, & alios pios usus. Nec fideles dant illam pecuniam ut mercedem operis, vel pretium laboris, (nam hoc esset Simonaicum, cum opus & labor sint spiritualia) sed ut necessitatis & subventionis stipendium, inquit S. Thom. q. 100. a. 2. ut scilicet Clerici habeant unde sustententur, & siquid supersit, in pios usus impendant, & pauperes alant pro suo officio. *Oblationes quæ à populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant; verum etiam ut eas fideliter dispensent, partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum divinum; partim verò in his quæ pertinent ad proprium victum, partim etiam in usus pauperum, &c.* ait Idem S. Th. 2. 2. q. 86. a. 2. Et verò bona Ecclesiæ, quæ à Patribus dicuntur bona Dei, & in pios usus impendenda, nihil ferè aliud erant tribus primis sæculis sub Imperatoribus ethnicis, quàm pecunia & alia mobilia, quæ à fidelibus dabantur Clericis titulo ministerii spiritualis.

Q. 6. *An Clericus, qui habet bona Patrimonialia sufficientia, potest sibi sumere ex bonis Ecclesiasticis partem suæ sustentationi necessariam, & disponere de Patrimonialibus, perinde ac si careret Beneficio?*

Resp. Longè plures affirmant cum S. Antonin.

nin. 3. p. tit. 15. c. 1. §. 18. & Prob. 1. exc. 16. & 30. de præbend & c. Charitatem, 12. q. 2. ibi: *justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.* Ubi nulla fit distinctio divitum & pauperum, & c. Clerici 1. q. 2. *Clerici omnes stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum consequantur.* 2. Quia qui servit altari, potest vivere de altari, ex 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis nunquam? ... Nescitis quoniam qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* & Mat. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* 3. Qui occupatus est in commodum aliorum, habet jus percipiendi ab iis necessaria ad suam sustentationem, quamvis dives sit. 4. Ex. c. *Episcopi.* & c. *Manifesta.* & sequentibus. 12. q. 1. colligitur Episcopos posse retinere bona patrimonialia cum portione Canonica bonorum Ecclesiæ. Idque supponit Alex III. c. *Quia de testam.* ubi statuit Clericos posse testari de bonis patrimonialibus, non autem de Ecclesiasticis redditibus.

Ad Canones & textus Patrum in oppositum objici solitos, respondent Ecclesiam olim, cum ejus redditus essent exigui, statuisse ut distribuerentur solum iis qui indigerent, non autem iis qui Patrimonium haberent: postea vero hanc disciplinam mutasse.

Q 7. *Ad quid tenentur Episcopi, Parochi, & ii quibus animarum cura incumbit?*

Resp. I. Hi tenentur generatim jure divino residere, & per se Officium suum rectè præstare, oves sibi creditas verbo, exemplo & Sacramentis pascendo, eorum salutem ac utilitatem spiritualement procurando, & peccata ac scandala, quantum possunt, impediendo. Est communis. Prob. I. Ex Ezech. 34. *Væ, Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascentur? ... Greges meus non pascebant, &c. & ex I. Pet. 5. Pascite qui in vobis est gregem Dei; providentes spontaneè secundùm Deum... Forma facti gregis ex animo. 2. Ex Trid. sess. 23. c. 1. Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt... S. Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant... Declarat omnes... obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi Officio defungi teneantur, neque abesse posse nisi ex causis infra-scriptis, &c. Eadem omnino etiam quoad culpam,*

culpam, amissionem fructuum & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, S. Synodus declarat & decernit, &c. 3. Quia quicumque accipit aliquod Officium præsertim cum emolumento, obligat suam personam ad proprias illius functiones, tacitéque promittit se illas obiturum quantum res feret; nec aliter ei committitur officium. Neque sufficit, quòd suum officium præstet per alios, nisi necessitas vel majus bonum commune cogat eum ad tempus abesse: nam rectæ rationi repugnat, ut quis officium, præsertim cum emolumentis habeat, & onus illius in alium transferat. Deinde Pastorale munus est per se personale, nam is constituitur Pastor, cujus cura, diligentia & industria electa est ad Pastoralia munera ob-eunda. His adde Jus Canonicum tit. *de Cleric. non resid.*

Hinc Episcopi & Parochi peccant mortaliter contra jus divinum naturale, ideòque indispensabile, si notabili tempore sine gravi & justa causa absint. Quòd si justa absentia causa subsit, tenentur per alium idoneum gregi suo sufficienter providere. Circa hoc utrumque, Conc. Trid. ibid. eorum conscientias onerat proposito Dei timore; & justas absentia causas exponit, quæ sunt *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesie vel Reip. utilitas.*

Porro

Porro residentia est personalis praesentia in loco Beneficii ad debitum Officium ibi praestandum. Quamvis autem omnia Beneficia etiam de jure communi & ex primæva sui institutione residentiam requirant: possunt tamen aliqua simplicia eam non exigere vel ex fundatione, vel consuetudine rationabili, ut cum Beneficia illa non habent sufficientes redditus ad sustentandum Beneficiarium, qui proinde cogitur alibi manere, ut habeat unde vivat.

Not. Provisi de Beneficio curam animarum habente, vel de Canonatu, tenentur publicam fidei professionem facere, alioquin fructus suos non faciunt, ex Trident. sess. 24. c. 12.

Resp. II. Speciatim de Parochis, tenentur.

1. Habere scientiam competentem, & sufficientem ad rectè dirigendas oves suas in rebus ad salutem pertinentibus; ideòque scire dogmata fidei, & Theologiam moralem, item Scripturas sacras & Canones, & statuta propria suæ Diocesis. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones, ut omne opus eorum in Prædicatione & Doctrina consistat, atque edificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* c. 1. dist. 38. ex Conc. Tolet. 2. Constantanter residere in sua Parochia, ex Trid. cit.
3. Pro ovibus orare & Sacrificium offerre, & quidem juxta *Toletum, Fagnan. Gavant. & alios.* iis applicare Missam diebus Festis ac Dominicis;

cis; quia Trident. dicit simpliciter teneri pro
 ovibus suis Sacrificium offerre, quod indicat
 specialem applicationem, & obligationem
 diversam ab ea, quàm habent singuli Sacerdo-
 tes applicandi fructum omnibus fidelibus. Et
 Conc. Mediolan. 4. à sede Apostolica appro-
 batum prohibet Curatis ne diebus Dominicis
 & aliis, quibus pro populo celebrare tenen-
 tur, aliud suscipiant Missarum celebrandarum
 onus. *Ita Fagnan.* Item S. Congregatio Car-
 dinalium apud Gavant. & Barbosam declara-
 vit non posse Parochum accipere stipendium
 pro Missa iis diebus, quibus tenetur ex Officio
 celebrare in sua Parochia, nempe diebus Festis
 ac Dominicis. Deinde Parochus accipit à
 suis ovibus sustentationem, ut sua munia pos-
 sit obire, & Missas his diebus celebret, non
 aliis profectò applicandas. — 4. Populum fre-
 quenter, ut diebus saltem Dominicis neces-
 saria ad salutem docere, & Doctrinam
 Christianam explicare, eumque ad virtutes ac
 vitam Christianam adhortari per se, si possint,
 vel per alios idoneos, si legitime impediti fue-
 rint: ita ut omnes facillè quæ ad salutem con-
 sequendam necessaria sunt, scire possint, ex
 Trid. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. ubi mandat
 Episcopis ut saltem Dominicis & aliis diebus
 Festis pueros in singulis Parochiis Doctrinam
 Christianam doceri curent. Hinc Bonacina
 ait. *Parochum mortaliter peccare, si uno conti-*

nno

*n*uo mense integro, aut etiamsi duobus vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur: quia hæc videtur materia gravis non solum secundum se, sed etiam respectivè. 5. Sacramenta suis Parochianis ministrare quoties ea rationabiliter petunt, vel alium idoneum providere: nam ex Officio tenentur oves suas pascere, ordinaria media salutis à Christo instituta præbere, suorum utilitatem spiritualem procurare, & præstare ea omnia quæ Pastoris sunt; inter quæ præcipuum est Sacramenta ministrare & necessaria ad salutem docere; & sub hoc onere accipiunt stipendium sustentationis. 6. Peccata corrigere præsertim publica, & scandala tollere vel per se si possunt, vel ea deferendo Episcopo, si publica sint, & omnes peccati occasiones quantum fieri potest avertere, ideòque inquirere peccata publica: item scire an singuli Sacramenta debita in Paschate suscipiant, & Sacrum diebus Festis audiant, &c. 7. Magnam & peculiarem curam habere pauperum, & providere ne ob inopinam à justitia deflectant, eorum necessitates inquirere, iisque quantum possunt subvenire, ex Trid. sup. nam iis sunt loco parentum, & ad hoc specialius obligantur, quàm alii. Item pauperes sepelire, etiam sine ullo stipendio, & pro eorum salute orare. 8. Nullos Matrimonio conjugere, nisi sufficienter peritos rerum fidei, & præceptorum Dei ac Ecclesiæ. Ideòque horum ignaros prius docere: quia illi postea
illa

ista liberos suos edocere tenentur. 9. Invigilare ut Ludi - Magister rectè fungatur officio, pueros Doctrinam Christianam doceat, bonisque moribus imbuat verbo & exemplo. 10. Frequenter visitare infirmos, etiamsi Sacramentis sint muniti: quia quo vicinior est mors, eo majus salutis periculum ingruit à Dæmone, & major est corporis ac animi infirmitas: ergo tunc maximè suorum salutem providere debent. 11. Servare Statuta Diocesis, & curare ut à suis servantur: nam obligant in conscientia, cum sint lata à superiore habente potestatem præcipiendi & ferendi leges. 12. Tenentur ex justitia, etiam cum certo vitæ periculo, ovibus suis subvenire non solum in extrema, sed etiam in gravi eorum necessitate spiritali, ex Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*: nam ratione officii ad amplius obligantur, quàm extranei Sacerdotes, qui cum periculo mortis tenentur proximo subvenire in extrema. Hinc juxta omnes Parochus tenentur suis peste laborantibus Sacramenta, præsertim Pœnitentiam, ministrare per se, vel per alium idoneum, nisi Episcopus jubeat ut ipsemet ministret: quamvis enim salutis suæ absolutè providere possint per actum perfectæ contritionis, tamen quia talis actus difficilis est; censentur esse in necessitate gravi. Et S. Congregatio apud Fagnan. approbante Gregorio XIII. censuit Parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis Ecclesiis,

clesiis, & per se vel per alium idoneum ministrare peste infectis Baptismum & Pœnitentiam. Id tamen possunt per alium idoneum ob majorem utilitatem Parochiæ, ut ipsi sanis prodesse possint, & erga illos officio Pastoris fungi. Idem dic de Superioribus regularium. 13. Denique omnium bonorum operum ac virtutum exempla præbere, ex Trid. sup. & ex ad Tit. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Quo virtutis amorem & vitii odium ac fugam suis efficacius ingenerent, scientes, quod pro animabus illorum rationem sint reddituri, ad Heb. 13. Igitur vitam suam ita instituant, ut quod verbis populum docent, ipsi opere confirmant, ac veluti in imagine ostendant, *forma facti gregis ex animo.*

Sed quantum temporis absentia sine causa justa ad mortale sufficit?

Resp. Cabassut. l. 5. Jur. Can. c. 1. docet absentiam 15. dierum intra annum non esse mortalem, modo relinquatur idoneus substitutus. Sed num pauciores sufficiant, alii viderint. Possunt autem Parochi ob certas causas justas & necessarias, sed prius (ut statuit Trident.) per Episcopum cognitatas & probatas abesse sine culpa, relicto Vicario idoneo ab Episcopo approbato.